


in latitudine. Europa ergo ab occidente usque ad A usque ad meridiem, atque inde Africa a meridie usque septentrionem, Asia vero a septentrione per orientem ad occidentem extenditur.

GLOSSÆ ET SCHOLIA.

Indorum terras, hinc Thetios æquora claudunt,
Quas primo Titā ascendens lumine cermit:

Hesperios fines, immanis terminal Indus,
Ad Thylen veniens, qui nocte dieque relucet.



DE TEMPORIBUS LIBER.

ARGUMENTUM IN LIBRUM VEN. BEDÆ DE TEMPORIBUS.

Superiore libro de mundo et præcipuis ejus partibus, brevibus ac perspicuis rudimentis, in Cosmographia lector institutus est, quandoquidem ad temporum ac historiarum cognitionem quibus hoc argumentum est destinatum ea disciplina parascève est. Hoc autem volumine quod de Temporibus inscribitur, temporum partes, species et discrimina cursim tantum exponit: præcedente enim idem argumentum copiosius tractat. Ordinis enim fuit, et quidem secundum naturam, ut posteaquam temporis causam unde proveniat, id est, mundum, explicasset, nunc de effectibus et consequentibus oratio institueretur, quæ quia præcedenti libro fusius traduntur, explicationem locorum difficilium illi argumento reservavimus.

CAPUT PRIMUM.

Temporis divisio.

Tempora momenti, horis, diebus, mensibus, annis, sæculis et ætatibus dividuntur. Momentum est

B minimum atque angustissimum tempus, a motu siderum dictum: est enim extremitas horæ in brevibus intervallis, cum aliquid sibi cedit atque succedit: Hora Græcum nomen est, et tamen Latinum sonat:

GLOSSÆ ET SCHOLIA.

CAPUT PRIMUM.

INC. AUCT. GLOSSÆ. — Tempora dicuntur a temperamento, quod se invicem temperent calore et

frigore. Momentis, horis, diebus, mensibus, annis, sæculis, ætatibus. Sæculis, scilicet unius hominis. Sæculum secundum quosdam sunt ducenti et viginti

¹ hora enim finis est temporis, sicut et, horæ sunt A in ⁷ medium. Umbri et Athenienses a meridie computant ad meridiem. Moses autem a mane usque ad mane unum diem appellat: sed Domino surgente vespere sabbati, lucebat in ⁸ primam sabbati, ut homo de luce lapsus in tenebras, deinceps a tenebris rediret ad lucem.

CAPUT II.

De Die.

Dies vulgaris est solis præsentia super terras, qui proprie XXIV horis ⁵ adimpletur. Hunc, ⁶ Hebræi, Chaldæi, et Persæ inter duos solis exortus: Ægyptii inter duos occasus numerant: Romani a medio noctis B

CAPUT III

De Nocte.

Nox est solis absentia terrarum umbra conditi, mortalibus ad requiem facta, ne opere diutino avida deficeret humanitas: ubi rigidior, ibi et ad operam minuenda et ad membra fovenda prolixior. Cujus partes sunt septem: Crepusculum, id est, dubia lux, inter lucem et tenebras; nam *creperum*, dubium dicimus. Vesperum, apparente stella hujus nominis. B Conticinium, quando omnia silent. ⁹ Intempestum,

VARIANTES LECTIONES.

¹ A, hora est finis. Vide ad init. variantium Lectionum præcedentis libri quid diximus de codicibus collatis.
² Omittunt quindecim partibus A, B, C. ³ A add. est. ⁴ A, ut dicitur. ⁵ A, B, C, impletur.
⁶ A. om. Hebræi. ⁷ A, medium diei. ⁸ A, primam. ⁹ A, intempestivum.

GLOSSÆ ET SCHOLIA.

anni; sed Servius dicit uniuscujusque hominis ætatem vel vitam sæculum posse dici. Beatus Hieronymus sic dicit in libro Hebraicarum Quæstionum: Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annis contracta est, siquidem invenimus quod post diluvium Abraham vixerit annos centum septuaginta quinque, et cæteri amplius ducentis et trecentis annis.

Sol cedit. Sol cursum suum agens et cedit et succedit sibi. Celum quidem, dum ab uno in alterum sui circuli transit locum; succedit autem, dum ejusdem semper partes, quasi sese sequendo recurrit. Vel cedit, dum prima pars est, venit ultima. Sive C cedit in ascendendo usque ad meridiem; succedit in descendendo usque ad occasum.

Brevibus intervallis. Breve intervallum est de momento ad aliud momentum.

Cum aliquid. Id est, aliquid sidus, ubi soli cedit ab hominibus; id est, cum locum dat atque succedit aliquid sidus hominibus, non ut transeat, sed tantum se moveat.

JOAN. NOV. SCHOLIA. — *Hora Græcum nomen est:* ὥρα aspiratur, Latine vero ora, quæ non tempus significat, sed spatii cujusque aut magnitudinis extremitatem, ut locorum, regionum, vestium etiam, levem habet; non igitur idem est, spiritu namque distinguitur Græcum et Latinum. Horas autem Græci vocant quatuor anni trimestria spatia nota, vulgo ver, æstatem, autumnum et hiemem, quas partes auctor est Eustathius Homerum intelligere in Iliade, ubi quatuor deas Horas introducit, quarum dux cælum aperiant, reliquæ claudant. Aperitur autem cælum, D ut tradunt et physici, et probat Aristoteles lib. II de Generatione et corruptione, a bruma usque ad solstitium, quod tempus est generationis; clauditur vicissim a solstitio usque ad brumam, quod tempus vocant Corruptionis. Toto enim hoc tempore sol decedit; sed vulgatiore significatione temporis momentum quoddam significat dies civilis partem vicissimam quartam, scriptores æquinociales vocant, et sunt toto anno æquales, quæ dum fiunt, oritur mundi senectus, id est, vicesima quarta pars alias diei naturalis, quæ a nocte distinguitur; partem significat duodecimam, hæc sunt inæquales, æstate namque longe sunt hujus generis horæ. Hiemina itaque nox quia prolixa est, nocturnas habet longiores horas.

CAPUT II.

JOAN. NOV. SCHOLIA. — *Dies vulgaris est solis.* Diem hunc vulgo artificialem improprie nominant, alii, ut jam superius sæpius testati, naturalem: nomen certe

habet a Jove, quem Græci Δία vocant; intelligunt autem physici Jovis nomine solem, veluti ex notissimo Orphei et Ennii versiculo constat; atqui sol est auctor diei.

Hunc Chaldæi et Persæ inter duos solis exortus. De vario dierum initio vide Gellium et Cœli lectiones antiquas

CAPUT III.

JOAN. NOV. SCHOLIA. — *Nox est solis absentia.* Nox e Græca dictione est litteræ unius mutatione. Græce enim νύξ noctem significat. Hanc Aristoteles definit, primo libro τῶν Μετεωρῶν, σκίαν τῆς γῆς, id est, umbram terræ. Necesse namque, ut ex physica atque optice constat, corpore in lumine posito umbram fieri in adversa lucis regione. Itaque dum sol infra finitorem (quem Græci horizonta vocant) decurrit, necesse est umbram terræ late per aera aspergi cælo, non autem penetrare usque ad ultimum cælorum, ut docent astrologi et physici. Est autem umbra hic, quod ad figuram attinet, mæxæ similis seu pyramidæ, de qua re vide schemata quædam superius descripta, ubi hæc ipsa copiosius.

Mortalibus ad requiem facta. Nox rebus agendis inepta est: ob id quidam a nocendo dictam scribunt; faciunt poetæ hanc Terræ prolem (cujus ratio deprehenditur ex his quæ modo diximus). Hæc statim genuit ὕπνον καὶ Θάνατον, id est, Somnum et Mortem germanos fratres, tum quia nox somnum conciliet, qui dimidium vitæ hominibus aufert, hoc est semimortuos reddere; lepide itaque excogitatum mortem fratrem esse somni, ut apud Senecam in tragædia:

Diræ frater languidæ mortis

Ubi nox rigidior. Frigidis somnus producit, calidis autem conciliatur. Vide Aristotelem in libello de Somno et Vigilia. Itaque natura provisum est, ut hibernæ noctes æstivis sint longiores, et eo quidem magis, quo regio ipsa septentrionibus extra solis viam propius subjecta est, veluti Britannia noctem brumalem habet horarum XVII, Germania XVI, Italia vero XV; Hibernia autem XIV. Porro Thyle, quæ terrarum ultima est, mensibus pluribus una nox durat, sed vicissim in his solstitiales dies totidem horas perdurant, itaque lucis et tenebrarum ratio in omnibus regionibus æqualis est, facta inter sese collatione æqualium et inæqualium.

Apparente stella hujus nominis. Hæc Veneris stella est, quæ dum solem sequitur, et sub noctem in occasura cœli parte cernitur, Vesper et Hesperus, et Vesper ugo dicitur, si vero idem sidus mane solem

quod est medium et inactuosum noctis tempus. Gallicinium, quando gallus resonat. Matutinum, inter abcessum¹ tenebrarum, et auroræ adventum: et diluculum, quasi jam incipiens² parva diei lux, hæc et aurora solem præcedens.

CAPUT IV.

De Hebdomada.

Hebdomada septem diebus constat, octavus autem dies idem primus est; ad quem reditur, eoque rursus hebdomada³ orditur. His nomina gentilitas a planetis indidit, habere se credentes a sole spiritum, a luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium et linguam, a Jove temperantiam, a Venere voluptatem, a Saturno tarditatem. Sed sanctus Sylvester Ferias⁴ appellare constituit, primum diem Dominicum nuncupans, imitatus Hebræos, qui primam sabbati, secundam sabbati, et sic cæteros a numero nominant: apud quos hebdomada totidem etiam annis peragitur; qui hebdomadam quoque hebdomadarum in diebus similiter habebant et annis, quinquagesimum dæem Pentecosten, annum vero Jubileum, id est, libertatem vocantes.

CAPUT V.

De Mense.

Mensis lunaris incremento lunæ senioque conficitur, dum XXIX⁵ et semis diebus paulo plus quam zodiacum peragit: sed facilitas computandi trigenis et undetrigenis diebus lunæ menses alternat. Solaris autem mensis XXII horis est amplior, ex quibus XI epactarum dies accrescunt, quibus sol lunæ cursum singulis annis exsuperat. Duodecies enim viceni et

A dini CCLXIV faciunt, ut undecies viceni et quaterni eundem numerum complent. Sed Hebræi menses a luna nascente, Romani a Calendis incipiunt, Ægyptii a quarto die Calendarum Septembrium, usque in nonum Calendarum earumdem, XXX diebus suos menses computantes; ⁶ residuos vero dies intercalares appellant. Qui primi ad solis cursum menses terminare cœperunt, ne lunæ velocior et dubius cursus impedimentum calculandi eis faceret.

CAPUT VI.

De Mensibus Romanorum.

Romani, auctore Romulo, decem mensibus annum ⁷ ordinatum agebant, diebus CCCIV qui primū mensem genitori suo Marti dicavit: secundum ab apertione frugum nominavit Aprilem: tertium Maiæ matri Mercurii, et quartum Junoni sacravit: Quintili et Sextili, qui nunc a nativitate Julii Cæsaris, et Augusti triumpho nominantur, et cæteris sequentibus a numero nomen imposuit: quorum initia Calendas appellavit, quia tunc calata, id est, vocata in Capitolium plebe, dicto quinquies vel septies verbo *calo*, id est, *voco*, quot dies superessent ad Nonas ⁸ pronunciabatur. Nonas autem, quod nono ante Idus die confluerent in urbem, ⁹ sciscitaturi quid esset eo mense faciendum. Porro Idus diem qui medium dividit mensem: *iduate* enim Etrusca lingua dividere est. His Numa duos menses adjiciens, Januariū a *Jano*, Februariū a *Februo*, deo lustrationum, nominando, CCCLIV diebus annum ad cursum lunæ disposuit, quem Julius Cæsar undecim diebus adjectis, ^C sicut hodie servatur, instituit

VARIANTES LECTIONES.

¹ A, tenebrarum noctis. ² A, quædam parva. C, incipiens diei. ³ A, B, C, semper oritur.
⁴ A, B, C, appellari. ⁵ Om. et A, B, C. ⁶ A, B, C, residuos quinque dies. ⁷ A, C, ordinatum, diebus vero CCCIV agebant. ⁸ A, pronunciabantur. ⁹ A, sciscituri; om. B, C.

GLOSSÆ ET SCHOLIA.

antevertat, Lucifer et Græce Phosporos dicitur, omnium stellarum quæ in cælo sunt maxima ac luculentissima. Unbram enim reddit tanto luna minorem, quantum ipsa solis umbra vincitur.

CAPUT IV.

JOAN. NOV. SCHOLIA. — ἑβδομα seu ἑβδομος et hebdomada (tot enim modis dicitur) tempus est septem dierum, unde et nomen habet etiam apud Latinos: nam septimanam vocamus. Quos non ex conversione astrorum, unde reliqua fere colliguntur, sed autoritate Dei (qui sex diebus, ut ante dictum est, mundi creationem complevit, et septimo quievit) primum Judæi ordinarunt, quorum sex vacationibus rerum profanarum tribuerunt, septimum religioni et quieti, unde Sabbatum dictum est. Quod inde gentiles et Christiani, diversa tamen ratione, sunt imitati, et primum quidem a Sabbato diem, primam Sabbati; deinde sequentem secundam Sabbati; et ita deinceps, pro quibus Ecclesia utitur feriarum ordine. Nam religio vetuit hos dies gentilitatis diis inscribere, quales sint, dies Veneris, Martis, etc. De cujus facti ratione alibi est dictum copiosius.

His nominibus gentilitas a planetis indidit. De affectionibus corporalibus, quas poetæ largiuntur nascentibus, si scire cupis exacte, lege Pontani de Rebus cælestibus librum quartum.

CAPUT V.

JOAN. NOV. SCHOLIA. — Dum XXIX diebus et semis

paulo plus quam zodiacum peragit. Recte dictum paulo plus. Nam hoc dierum numero significum integrum perimitur, et duodecimam ejus fere partem. Mensis enim est, nondum luna ad eandem partem signiferi unde precedente mense exibat revertitur, sed quod est inter duos ejus a sole synodos, Latini cœtus vocant. Præcedenti autem libro de mensibus nostris et peregrinis plura disseruimus.

CAPUT VI.

D JOAN. NOV. SCHOLIA. — Romani auctore Romulo. Romulus, quod sic prima gentis suæ conditio exegerit, disciplinæ militaris studiosior fuit quam rerum cælestium, quemadmodum pervulgato Ovidii versiculo incessitur:

Scilicet arma magis quam si leri, Romule, noras.

Tractavit hoc argumentum copiose Macrobius in Saturnalibus. Porro Quintilis, Sextilis, September, October, tantum a numero dicuntur: nam propter vocabuli formam appositæ sunt syllabæ *tilis et ber*, nihil plus significantes quam in *MEDITULLIO Tullius*.

Secundum ab apertione frugum Aprilem nominant. Alii malunt deducere a Venere, quæ Græce Aphrodite nuncupatur, est que hic mensis Veneris, quod et astrologi docent. Nam Taurus, in quem mense April sol transitum facit, domicilium est Veneris.

Iduate enim Etrusca lingua dividere est. Sic et Festus docet et Macrobius, unde adhuc manserunt *viduus et vidua*, quasi *divisi à conjugibus*.

CAPUT VII.

De Solstitio et Æquinoctio.

Solstitia et æquinoctia bina putantur, VIII Calend. Januarii et Julii, Aprilisque et Octobris, octavis scilicet ¹ in partibus Capricorni, Canceri, Arietis, et Libræ. Sed æquinoctialis dies omni mundo æqualis est. Vario autem lucis incremento in Meroe longissimus dies XII horas æquinoctiales, et octo partes unius horæ colligit : Alexandria vero XIV horas, in Italia XV, in Britannia XVII. Ubi æstate lucidæ noctes haud dubie testantur, id quod cogit ratio credi: solstitii diebus accedente sole propius verticem mundi, angusto lucis ambitu subjecta terræ continuos dies habere senis mensibus, noctesque e diverso ad brumam remoto, quod fieri in insula Thule Pythias Massiliensis scribit, sex dierum navigatione in B Septentriones a Britannia distante.

CAPUT VIII.

De Temporibus.

Tempora sunt vices mutationum, quibus sol accedendo vel recedendo anni temperat orbem. Hiems enim illo longius morante, frigida est et humida : ver, illo redeunte, humidum et calidum : æstas vero, illo superfervente, calida et sicca : autumnus, illo decedente, siccus et frigidus. Hæc autem antiqui septimo die ante Idus Februarias, et Maias, Augustasque et Novembres inchoabant, ut solstitia et æquinoctia in medio essent temporum. Ver autem orienti comparatur, quia tunc ex terris omnia oriuntur : æstas meridiano, eo quod pars ejus calore ² fragrantior sit : autumnus occiduo, eo quod ob confinium caloris

A et frigoris graves morbos habeat : hiems septentrioni, eo quod frigore torpeat.

CAPUT IX.

De Annis.

Annus solaris vel civilis est, dum sol CCCLXV diebus et quadrante zodiacum peragit, quem Romani a bruma, Hebræi ab æquinoctio verno, Græci a solstitio, Ægyptii inchoant ab autumno. Annus lunaris communis XII lunis, id est, diebus CCCLIV. ³ Embolismus tredecim lunis, et diebus trecentis octuaginta quatuor implentur, a luna paschali ⁴ sumentes initium. Annus magnus est, dum omnia sidera, certis cursibus exactis, ad locum suum revertuntur, quem sexcentis annis solaribus Josephus dicit impleri.

CAPUT X.

De Bissexto.

Bissextus ex quadrantis ratione per quadriennium conficitur, dum sol ad id signum, ex quo egressus est, non in CCCLXV diebus, sed quarta diei parte superadjuncta revertitur. Verbi gratia : si nunc æquinoctialem cœli locum sol oriens intraverit, in ⁵ hunc anno sequenti meridie, tertio vespere, quarto medio noctis, quinto rursus in ⁶ exortu recurrens, necessario diem præmonet augendum : ne si forte non addatur, per CCCLXV annos æquinoctium vernale ⁷ brumali die proveniat. Quem Ægyptii anno suo ⁸ expleto, id est, IV Calendarum septembrium, Romani VI calendarum Martiarum, unde et nomen accepit, interponunt. Breviori autem et vulgari ratione bissextum retardatio generat solis, non ad eandem lineam per CCCLXV dies plene redeuntis : quem si, verbi

VARIANTES LECTIONES.

¹ A om. in.
⁶ A, B, exortum.

² A, B, C, fragrantior.
⁷ A, solstitiali diei.

³ B, embolismos.
⁸ A, completo.

Sic Mss.

⁴ A, hoc.

GLOSSÆ ET SCHOLIA.

CAPUT VII.


JOAN. NOV. SCHOLIA. — Octavo Calendas Januarii et Julii. Ciceronis ætate alia fuit ratio solstitiorum et æquinoctiorum ; nunc enim propter motum firmamenti, seu novi orbis tardius proveniunt. Quod autem scribitur, temporum momenta provenire in octavis partibus signorum, cum concordia sententia omnium astrologorum, hæc eveniant in primis signorum partibus, referendum est ad veterem partium computationem ; alter enim partiti sunt signa veteres, de qua re erudite disseruit Zieglerus, in commentariis super secundum Plin. i.

Sed æquinoctialis dies omni mundo æqualis est, Exstat hujus rei demonstratio in Phænomenis Euclidis de Conversionibus sphaerarum. Omnes enim in sphaera circuli maximi secant sese in duas partes æquales, veluti horizon et æquator ; reliquos vero circulos : quos sol mundi ambitum describit, inæqualiter horizon dividit, præterquam sub æquinoctiali. De dierum et noctium vario incremento libro superiore actum demonstrationibus aliquot, et rursus libro de Natura rerum, de gnomis et rationibus umbrarum.

CAPUT IX.

VETUS COMMENTARIUS. — Sit zodiacus circulus A B Γ Δ, in cujus medio sit Θ quasi terra, per quam duæ lineæ diriguntur ; utraque diametros intelligatur, ab A in Γ, et a B in Δ. Ergo sol accedens ad A facit unum æquinoctium ; et ad Γ, autumnale,

C ad B autem conversionem æstivam, et Γ ad A hiemalem.



JOAN. NOV. SCHOLIA. — Annus solaris vel civilis. Civilis apponi solet diebus, non annis. Sunt enim dierum alii civiles, qui constant spatio diei et noctis

gratia, in æquinoctio vernan, quod juxta Ægyptios XII Calendarum Aprilium die provenit, surgentem a medio orientis diligenter adnotaveris, hunc anno sequenti, die videlicet eodem, aliquanto inferius oriri, et tertio, quarto, quintoque anno eandem diminutionem in tantum augeri reperies, ut nisi diem ante superadjicias, XI Calendas Aprilis æquinoctium facturus sol e medio surgat orientis, eandem scilicet tarditatem cæteris quoque servaturus exortibus.

CAPUT XI.

De Circulo decennovenali.

Cyclum decennovenalem propter XIV lunas paschales Nicæna synodus instituit, eo quod ad eundem anni solaris diem unaquæque luna per XIX annos, ECXXXV circumacta vicibus, inerrabili cursu redeat, qui dividitur in ogdoadas et hendecadas, hoc est, in VIII et XI annos. Octo enim anni lunares totidem annos solares duobus tantum diebus transcendunt, quorum alter ad explementum occurrit hendecadis, alter ratione saltus absumitur, alioquin hendecades solares uno die transcenderent lunarem. Licet quidam violenter hos dies ex bissextis octo annorum supplere nitantur: cum bissextus soleat in mense Febuario soli superfusus et luncæ, futuro tempore nihil præjudicare, et ipsi nullum hendecadi bissextum addant. Ut ergo apertius dicam, duo lunæ dies, qui supersunt, ogdoade, duos qui desunt in hendecade complent.

CAPUT XII.

De Saltu Lunæ.

Saltum lunæ locus et hora citior incensionis ejus per XIX annos efficit: quamvis enim quidam singulas lunas XXIX semel diebus computantes, incensiones earum medio diei, et medio noctis semper alternent, non in hoc tamen veritatem naturæ, sed calculandi facilitatem vel compendium inquirunt. Nam si naturam quæras lunæ primi mensis, quæ nunc in meridie: et secundi, quæ nunc in medio noctis accenditur, anno futuro hora, et uno puncto et decem momentis, et dimidio momenti nona decima parte unius puncti ante medium diei vel noctis illustratur. Hæc tamen distinctio non ad certum embolismi, vel communis anni terminum, sed ad æquam divisionem XIX tendit annorum, sicque per XIX annos paulatim lunaris accensio sese præoccupando unius diei spatium amittens, ultimum decennove-

nalis cycli annum CCCLXXXIII diebus facit computari. Quod si facere negligas, per XV decennovenales cyclos XV tibi luna, ubi prima putatur, occurret.

CAPUT XIII.

Contentia Circuli ejusdem.

Cyclus idem paschalis VIII est lineis communitus. Primus ordo continet annos ab incarnatione Domini, unius singulis annis augmento crescentes. Secundus indictiones Romanorum, quæ in se per XV annorum cursum revolvuntur. Tertius Epactas XI lunares, quæ per singulos annos solares ad cursum lunæ succrescunt, et ad lunam Calendarum quærendam semper adjiciuntur positæ XI Calendas Apriles. Quartus concurrentes septimanæ dies, quæ positæ IX Calendas Apriles, propter dispendium bissexti necessario XXVIII annis implentur: quarum ratio cogit cyclos decennovenales XXVIII describi, ut singulæ concurrentes singulos cyclos inchoent, totaque summa paschalis calculi DXXXII annis explicetur. Quintus cyclum lunarem, quem tribus annis decennovenalis præcedit XIX annis etiam ipse comprehensus. Sextus XIV lunas, quibus veteres pascha faciebant, quæ a duodecimo Calendas Apriles, usque in XIV Calendas Maias vario discursu vagantes, tempus incensionis ab VIII Idus Martias usque in Nonas Apriles accipiunt: a XIV autem luna usque ad XIV anni sequentis dies sunt CCCLIV, si communis annus est. Si embolismus, CCCLXXXIV. Septimo, dies dominicæ Paschæ reperiuntur ab XI Calendarum Aprilium usque in VII Calendas Maias, ob rationem embolismorum licenter extendi. Ultimo ordine luna festi paschalis a XV usque in XXI propter diem dominicum variata: adimit enim saltus noctem, addit verro ætatem, quæ per omnem cyclum adolevit. Sed in hoc nox adimitur, quod ante luna deficit, quod putatur, naturaliter vero nox ipsa perseverat, quæ nox initium est futuri anni, et cycli incipientis exordium: propter quod idem ultimus annus Epactas XVIII tunc retinens, primo anno non XI ut in cæteris annis fieri solet, sed XII dies accommodat. Et quia XXX dierum sine revolvuntur, nulla epacta in principio cycli ponitur.

CAPUT XIV.

Argumenta titulorum paschalium

Si nosse vis quot sunt anni ab incarnatione Domini, scito quot fuerint ordines Indictionum, ut puta

VARIANTES LECTIONES.

- ¹ A, B, in cæteris. ² Basil. ed., bissextilis. ³ A. om. facilitatem vel; B, C vel compendium. A, luna. ⁴ Om. in A, B, C. ⁵ A et Basil. ed. om. dimidio momenti; B et C ponunt dimidio momenti et. ⁶ Crescentis Basil. ed. ⁷ Semper A, B, C, Basil. ed. ⁸ A, quæ. ⁹ A. Ultimo luna. ¹⁰ Cætera usque ad caput sequens non habet A. ¹¹ B. addidit. ¹² B. deficit.

GLOSSÆ ET SCHOLIA.

viginti quatuor horarum, alii naturales, qui sunt inter solis exortum et occasum; alias hi anni vertentes dicuntur, ut apud Ciceronem, lib. VI, de Repub., quod fiant solis conversione per circulum zodiacum; unde et Græci, eadem similitudine ducti, annum ἐπιτροπὴν vocant, quod veluti in seipsum convertatur, quæ natura est motus circularis. Verum de magno anno, quem etiam Platonicum vocant, varix sunt dictionum sententiæ.

CAPUT XIII.

JOAN. NOV. SCHOLIA. — Redditur hic ratio illorum indicum qui libro ultimo ad finem sunt adjecti, qui constant annis DXXXII, quibus exactis, omnia redeunt eadem ut sunt ab initio, quemadmodum alibi pluribus dictum est. Reduximus hos circulos in pristinam dignitatem, erant enim in exemplaribus quæ hætenus fuerent in usu supra modum depravati.

quinto anno Tiberii principis XLVI hos per XV multiplica, fiunt DCXC. Adde semper regulares XII, quia quarta Indictione secundum Dionysium, Dominus natus est, et Indictionem anni cuius volueris, utpote in præsentī¹ unam, fiunt DCCH. Isti sunt anni nativitatē Domini. Si vis scire quota sit Indictio, sume annos Domini, et adjice tria, partire per XV, et quod remanserit ipsa est indictio anni præsentis. Si vis scire quot sint Epactæ lunares, partire annos Domini per XIX, et quod remanserit multiplica per XI; itē partire per triginta, et remanent Epactæ. Si vis scire concurrentes septimanæ dies, sume annos Domini, et eorundem quartam partem adjice. His quoque quatuor² adde³ quinque concurrentes fuerunt anno nativitatē Domini; hos partire per septem, et remanent Epactæ solis. Si vis scire quotus sit^B annus circuli decennovenalis, sume annos Domini, et unum adjiciens, quia ejusdem anno secundo natus est Dominus, partire per XIX, et quod remanserit ipse est annus cycli decennovenalis. Si vis scire quotus cyclus lunaris est, sume annos Domini, et duo subtrahens divide per XIX, et quod remanserit ipse est annus circuli lunaris. Si vis nosse bissextilem annum, partire annos Domini per IV, quantum remanserit, tot sunt anni a bissexto. His ergo ad certum inventis, facile diem paschæ lunamque reperies. Quod si a præsentī post aliquot annos, verbi gratia⁴ post C, pascha scire velis, Epactas tamen, et concurrentes solis dies invenire sufficit, partire autem centum per XIX, et remanent V. Illas ergo scito Epactas^C centesimo quas⁵ quinto anno futuras. Eodem modo centum per XXVIII dividens, eas centesimo, quas XVI anno concurrentes solis invenies.

CAPUT XV.

De Sacramento temporis Paschalis.

Ideo autem pascha non ad eundem redit anni diem, sicut tempus Dominicæ nativitatē, quod ibi nativitatē ipsius memoria tantum solemnis habeatur: hic vero vitæ venturæ et mysteria celebrentur et munera capiantur: unde et nomen ipsum Paschæ transitum de morte ad vitam significans, congruum quoque mysteriis tempus inquiri: primo, ut, æquinoctio transceso, tenebræ mortis a vera luce vincantur; deinde, ut primo mense anni, qui dicitur mensis Novorum, vitæ novæ gaudia celebrentur. Tertio, ut resurrectio die tertio facta, et tertio tempore seculi, id est, sub gratia⁶ manifesta, cum jam ante regem, et sub lege et prophetico lateret enigmata, in tertia lunæ septimana veneretur, cum et ipsa tunc lunæ conversio mentis gloriam de terrenis ad cælestem doceat mutari contutum. Atque ad ultimum, ut dies Dominica conditione lucis insignis, et triumpho Christi veneranda, nostra quoque resurrectione nobis exoptabilis in memoriam revocetur.

CAPUT XVI.

De Mundi Ætatibus.

Sex ætatibus mundi tempora distinguuntur. Prima ætas ab Adam usque ad Noe continens generationes X, annos vero MDCLVI. Quæ tota perit diluvio, sicut infantiam mergere solet oblivio. Secunda a Noe usque ad Abraham generationes similiter complexa X, annos autem CCXCII. Quæ in lingua inventa est, id est, Hebræa. A pueritia namque homo incipit nosse loqui post infantiam, quæ et nomen inde accepit, quod sari, id est, loqui non potest. Tertia ab Abraham usque ad David generationes XIV, annos vero DCCCCXLII continens. Et quia ab adolescentia incipit homo posse generare, Matthæus generationum ab Abraham sumpsit exordium,⁷ qui etiam pater gentium constitutus est. Quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis generationibus æque juxta Matthæum XIV, annis autem⁸ CCCCLXXIII porrecta, a qua Regum temporā cœperunt. Juvenilis enim dignitas regno est habilis. Quinta deinde usque ad adventum Salvatoris in carnem generationibus et ipsa XIV, porro annis⁹ DLXXXIX extenta, in qua, ut gravi senectute fessa malis crebrioribus plebs Hebræa quassatur. Sexta, quæ nunc agitur, nulla generationum vel temporum serie certa, sed ut ætas decrepita, ipsa totius sæculi morte finienda.

CAPUT XVII.

Cursus et Ordo Temporum.

Prima ergo ætas continet annos juxta Hebræos MDCLVI. Juxta Septuaginta interpretes MMCCXLII: Adam annorum CXXX genuit Seth, qui pro Abel natus est. Seth annorum CV genuit Enos. Iste incœpit invocare nomen Domini. Enos annorum XC genuit Cainan. Cainan annorum LXX genuit Malaleel, qui interpretatur *plantatio Domini*. Malaleel annorum LXV genuit Jareth. Jareth annorum CLXII genuit Enoch, qui est translatus a Deo. Enoch annorum LXV genuit Mathusalem. Concupiscunt filii Dei filias hominum. Mathusalem annorum CLXXXVII genuit Lamech. Gigantes nati sunt. Lamech annorum CLXXXII genuit Noe, qui arcam ædificavit. Noe¹⁰ anno DC venit diluvium.

CAPUT XVIII.

De secunda Ætate.

Secunda ætas continet annos juxta Hebræos CCXCII. Juxta Septuaginta interpretes¹¹ DCCCXLII vel adjecto Cainan MLXXII. Sem anno II post diluvium genuit Arphaxat, a quo Chaldæi. Arphaxat annorum XXXV genuit Sale, a quo Samaritæ et Indi. Sale annorum XXX genuit Heber, a quo Hebræi. Heber annorum XXXIV genuit Phalech. Turris ædificatur. Phalech annorum XXX genuit Reu. Dii primum adorantur. Reu annorum XXXII¹² genuit Seruch. Regnum Scytharum incheat. Seruch annorum

VARIANTES LECTIONES.

¹ Bas. ed., septimana, pro unam. ² A add. regulares. ³ A, B, C, quia. ⁴ A, a. d. vel ti.
⁵ B, quas centesimo quinto. ⁶ C, manifestata. ⁷ A, quia. ⁸ Ms. Lond., B, C, CCCCLXXXIII
C, DLXXXVIII. ¹⁰ C, annorum. ¹¹ C, DCCCCXLII. ¹² C, genuit Nachor, etc., omittens Seruch, etc.

XXX genuit Nachor. Regnum Ægyptiorum nascitur. Nachor annorum ¹ XXIX genuit Thara. Regnum Assyriorum et Sicyoniorum exoritur. Thara annorum LXX genuit Abraham. Semiramis condidit ² Babylonem.

CAPUT XIX.

De tertia Ætate.

Tertia ætas continet annos DCCCXLII. Abraham annorum LXXV venit in Chananeam: Abraham annorum C genuit Isaac. Nam primo genuit Ismael, a quo Ismaelitæ. Isaac annorum LX genuit Jacob. Regnum inchoat Argivorum. Jacob annorum XC genuit Joseph. Memphis in Ægypto conditur. Joseph CX annos vixit. Græcia sub Argo segetes habere cœpit. Hebræorum servitus annorum ³ CXLIV. Cecrops Athenas ⁴ condidit. Moses annis XL rexit Israel. Lacedæmon conditur. Josue annis ⁵ XXVI. Judices a Mose usque ad Samuel præfuerunt annis ⁶ CCCC. Othoniel annis XL. Cadmus Thebarum rex Græcas litteras invenit. Aoth annis LXXX. Amphion musicus claruit. Debbora annis XL. Primus Latinis ⁷ imperavit Picus. Gedeon annis XL. Orpheus Linusque musici claruerunt. Abimelech annis III. Iste ⁸ fratres suos septuaginta interfecit. Thola annis ⁹ XXIII. Priamus regnat in Troja. Jair annis XXII. Carmentis Latinas litteras reperit. Jephthe annis VI. Hercules se flammis injecit. Abessa annis VII. Bellum Trojæ ¹⁰ decennale surrexit. Achialon annis X. Hic in LXX interpretibus non habetur. Labdon annis VIII. Æneas venit in Italiam. Samson annis XX. Ascanius Albam condidit. Heli annis XL. Regnum Sicyoniorum finitur. Samuel ¹¹ et Saul annis ¹² XXXII. Lacedæmoniorum regnum exoritur.

CAPUT XX.

De quarta Ætate

Quarta ætas continet annos juxta Hebræos CCCCLXXIII. Translatores Septuaginta XII adjiciunt. David annis XL. Carthago a Didone conditur. Salomon annis XL. Qui templum ædificavit anno ¹³ CCCCLXXX ¹⁴ egressionis ex Ægypto. Ex quo apparet Samuel et ¹⁵ Saul XXXII annis non XL præfuisse. Roboam annis XVII. Regnum Israel et Judæ dividitur. Abia annis III. Pontifex Abimelech insignis habetur. Asa annis XLI. Hieu propheta occiditur ab Asa rege Israel. Josaphat annis ¹⁶ XXV. Helias et Abasias Michæasque prophetant. Joram annis VIII. Edom defecit a regno Judæ. Ochozias anno I. Helias ¹⁷ raptur. Jonadab filius Rechab sacerdos claruit. Athalia annis VI. Joas annis XL. Zacharias Joiadæ filius lapidatur. Amazias annis XXIX. Amos prophetat in Israel. Ozias annis LII. Assyriorum regnum in Me-

dos transfertur, quod a Beli principio steterat, annis MCCC. Joathan annis XVI. Ozee, Johel, Esaiasque prophetant. Achaz annis XVI. Roma conditur, et Israel in Medos transfertur. Ezechias annis XXIX. Romulus centum senatores constituit. Manasses annis LV. Numa duos menses adjecit. Amon annis II. Tullius in republica censum ¹⁸ egit. Josias annis ¹⁹ XXXI Thales physicus claruit. Joachim annis XI. Hujus anno tertio Nabuchodonosor Judæam cepit. Sedechias annis XI. Templum Hierosolymitanum incensum est.

CAPUT XXI.

De quinta Ætate.

Quinta ætas continet annos DLXXXIX. Hebræorum captivitas annis LXX. Judith historia conscribitur. Darius annis ²⁰ XXXVI. Hujus secundo anno templum Hierosolymis extruitur. Primus autem regni ejus inter septuaginta annos captivitatis Judaicæ concluditur. Xerces annis ²¹ XX. Herodotus historiographus agnoscitur. ²² Artabanus mensibus VII. Socrates nascitur. Artaxerxes annis XL. Esdras legem, Neemias Hierosolymam restaurat. Darius, qui et Nothus, annis ²³ XIX. Plato nascitur. Artaxerxes, ²⁴ annis LX. Hester historia completur. Artaxerxes, qui et Ochus, annis XXVI. Demosthenes et Aristoteles prædicantur. Xerxes Ochi filius annis III. Xenocrates claruit. Darius annis VI. Hucusque regnum Persarum, dehinc Græcorum. Alexander annis V. Nam VII ejus anni-cum Persarum regibus supputantur. Ptolemæus Lagi filius annis XL. Machabæorum liber ²⁵ inchoat. C Primus Philadelphus annis XXXIII. Septuaginta interpretes claruerunt. Evergetes annis XXVI ²⁶. Jesus Sapientiæ librum composuit. Philopater annis XVII. Machabæorum liber secundus inchoat. Epiphanes annis XXIII. Romani Græcos obtinuerunt. Philometor annis XXXV. Hunc Anthiochus superans Judæos oppressit. Evergetes annis XXIX. Brutus Hispaniam subegit. Soter annis XVII. Varro Ciceroque nascuntur. Alexander annis X. Syria per Gabinium ducem subjicitur Romanis. Ptolemæus Cleopatæ filius annis ²⁷ VIII. Silustius historiographus nascitur. Dionysius annis XXX. Pompeius Judæam cepit. Cleopatra annis XXII. Hucusque regnum Græcorum, ²⁸ nunc Romanorum. Julius Cæsar annis V. Ab hoc Cæsares appellati.

CAPUT XXII.

De sexta Ætate.

Sexta ætas continet annos præteritos DCCVIII. Octavianus annis LVI. Hujus anno XLII Dominus nascitur, completis ab Adam annis MMMDCCCCLII. Juxta alios MMMMMXCIX. Tiberius annis XXIII. Hujus anno XVIII Dominus crucifigitur. Caius annis

VARIANTES LECTIONES.

- ¹ C, XXVIII. ² Bas. et C, *Babyloniam.* ³ CXLIV Ms. et C. ⁴ B, *condit.*
⁵ Ms. Lond., XXVII. ⁶ C, CCCV. ⁷ C, *regnat*; B, *regnavit.* ⁸ C, *LXX fratres.*
⁹ Ms. Lond. et C, XXXIII. ¹⁰ C, *decennovale.* ¹¹ Com. et Saul. ¹² C, XXXIII.
¹³ Ms. Lond. CCCCLXX. ¹⁴ C hic habet complete: *Translatores XII adjiciunt*, et omittit *egressionis ex Ægypto.* ¹⁵ Ms. et C, *Saul annis XL.* ¹⁶ C, XXXV. ¹⁷ C, *raptur.* *Athalia annis III. Jonadab, etc.* ¹⁸ C, *exegit.* ¹⁹ Ms. Lond. et C, XXI. ²⁰ C, XXXVII. ²¹ C, XXI.
²² C, *om.* *Artabanus... Socrates nascitur.* ²³ XXIX. ²⁴ C add. *qui et Ochus.*
²⁵ C. *inchoat primus. Philadelphus... XXXVIII.* ²⁶ Ms. Lond., XXXVI. ²⁷ C, XVIII.
²⁸ C om. *nunc Romanorum*

quatuor. ¹ Matthæus Evangelium scribit. Claudius A
annis ² tredecim. Petrus Romam, Marcus Alexan-
driam petit. Nero annis quatuordecim. Petrus et
Paulus cruci gladioque traduntur. Vespasianus an-
nis X. Hujus secundo anno ³ Hierosolyma subverti-
tur. Titus annis II. Hic facundus et pius fuit. Domi-
tianus annis XVI. Joannes in Patmon relegatur.
Nerva anno I. Joannes apostolus Ephesum rediens
Evangelium scripsit. Trajanus annis ⁴ XIX. Simon
Hierosolymorum episcopus crucifigitur, et requie-
scit Joannes ⁵ Ephesi. Hadrianus annis XXI. Aquila
interpres habetur. Antoninus Pius annis XXII mensi-
bus ⁶ quatuor. Valentinus et Marcion agnoscuntur.
⁷ Antoninus minor annis XIX. Cataphrygarum hæresis
exoritur. Commodus annis tribus. Theodotion inter-
pres habetur. ⁸ Ælius Pertinax anno I. Severus B
Pertinax annis ⁹ octodecim. Symmachus interpres
habetur. Antonius Caracalla annis VII. Quinta editio
Hierosolymis invenitur. Marcianus anno I. Aurelius
¹⁰ Antonius annis quatuor. Sexta editio Nicapoli re-
peritur. Alexander annis tredecim. Origenes Alexan-
driæ claruit. ¹¹ Maximinus annis tribus. Hic perse-
quitur Christianos. Gordianus annis septem. Fa-
bianus episcopus Romæ celebratur. Philippus annis
septem. Hic primus Christianus imperator fuit.
Decius anno u. o. Antonius monachus claruit. Gal-
lus et Volusianus annis II. Novatiana hæresis ex-
oritur. Valerianus annis XV cum Gallieno. Cy-
prianus martyrio coronatur. Claudius annis II. Pau-
lus ¹² Samosatæ hæresim condidit. Aurelianus annis
V, hic persequitur Christianos. Tacitus anno I. Pro- C
bus annis ¹³ VII. Manichæorum hæresis exorta est.
Carus annis II. Iste de Persis triumphavit. Diocle-
tianus et Maximianus annis XX. Iste persequitur
Christianos. Maximinus Severusque annis ¹⁴ II. Con-
stantinus annis XXXI. Nicæna synodus congregatur.
Constantius et Constans annis XXIV. Ossa Andreae

et Lucæ Constantinopolim transferuntur. Julianus
annis II. Hic ex Christiano paganus persequitur
Christianos. Jovianus anno I. Hic cum omni exercitu
Christianus efficitur. Valentinianus annis ¹⁵ XIII, qui
a Juliano ob fidem Christi militia fuerat privatus.
¹⁶ Valens annis III. Gratianus annis VI. Ambrosius et
Martinus episcopi clarescunt. Valentinianus cum
Theodosio annis IX. Hieronymus in Bethleem præ-
dicatur. Theodosius annis III cum Arcadio et Hono-
rio. Anachorita Joannes claruit. Arcadius annis XIII
cum fratre Honorio. Joannes Chrysostomus et Au-
gustinus episcopi prædicantur. Honorius annis XV
cum Theodosio minore. Cyrillus Alexandriae claruit.
Theodosius minor annis ¹⁷ XXVI. Ephesina synodus
Nestorium condemnat. Martianus annis VII. Chalcedo-
nense concilium geritur. Leo major annis XVII. Ægy-
ptus errore Dioscori latrat. Zenon annis XVII.
Corpus Barnabæ apostoli reperitur. Anastasius an-
nis XXVI. Fulgentius episcopus prædicatur. Ju-
stinus annis IX. Acephalorum hæresis abdicatur. Justi-
nianus annis ¹⁸ XXXIX. Hujus ¹⁹ VI anno Dionysius
paschales circulos inchoat. Justinus minor annis XI,
Armenii fidem Christi suscipiunt. Tiberius annis ²⁰ VII.
Hermingildus rex Gothorum martyrio coronatur.
Mauritius annis XXI. Gregorius Romæ floruit epi-
scopus. Phocas annis VIII. Saxones in Britannia fi-
dem Christi suscipiunt. Heraclius annis ²¹ XXVI.
Judæi in Hispania Christiani efficiuntur. Heraclionus
cum matre sua Martina annis II. Constantinus filius
Heraclii mensibus VI. Constantinus filius Constan-
tini annis XXVIII. Eclipsis solis facta est indictione
septima, quinto Nonas Maias. Constantinus filius
Constantini superioris annis XVII. Hic sextam syno-
dum composuit. Justinianus filius Constantini annis X.
Africa restaurata est imperio Romanorum. Leo an-
nis III. Tiberius dehinc quintum egit annum. Reli-
quum sextæ ætatis Deo soli patet.

VARIANTES LECTIONES.

- ¹ B, Evangelista. ² C, XIV. ³ C, Titus Hierosolyma subvertit. ⁴ Ms. Lond., XIV
⁵ Pto Ephesi, C ponit Apostolus. ⁶ C, III. ⁷ C, Antonius. ⁸ C, Antheselius anno I. Pertinax
⁹ C, octo. ¹⁰ C, Antonianus. ¹¹ C, Maximus XVI. ¹² Samosatenus. ¹³ C, VI. ¹⁴ C, I.
¹⁵ Ms., Lond. et C, XI. ¹⁶ Com. Valens a. III. ¹⁷ Com., XVI. ¹⁸ Ms. Lond., XXIX.
¹⁹ C, anno I. ²⁰ C, IX. ²¹ Ms. Lond. et C, XXXVII.

PATROLOGIÆ EDITORIS MONITUM.

Opus sequens, nonnumquam designatum sub titulo *de Temporibus liber major*, sub hoc titulo una cum libro *de Natura Rerum*, Basileæ, 1529, ednum fuit. Coloniensis editionis tomo II distinctum habetur. Utraque recensio id exhibet ante librum *de Temporibus*, licet post hunc huicque supplementi instar scriptum fuerit. In utraque etiam, capitula 66 et 67 separatim impressa sunt sub hac una inscriptione *Chronicon, sive de Sex Ætatibus sæculi (a)*. Chronicon protrahitur usque ad regnum Leonis Isauriani, id est usque ad annum mundi 4680, Christi 726. Typis mandatum est, Venetiis anno 1505, cum P. Victoris de Regionibus urbis Romæ Dissertatione ad calcem, et brevi Bedæ Vita in fronte; Lutetiæ Parisiorum, anno 1507; Basileæ, 1529, una cum libro *de Natura Rerum*; atque, anno 1537, Coloniae, cum Bronchorstii continuatione et notis. Opus collatum cum quatuor Mss. — Bibl. Bodl. F. 5. 5., Magd. Ox. N.E., Bibl. Reg. E, 904, et Collegii S. Joannis Cantabrigiæ — separatim edidit Smithius. Chronico Duchesnius in suis Scriptoribus Franc. (tom III) continuationem usque ad annum 820 protractam adjunxit. Demum, in Bedæ Operum Ecclesiasticorum Minorum editione quam dedit Anglica Societas Historica, *Sexta Ætas* mundi, post Smithium et manuscriptos Codices Bibl. Reg. 45. A XI. et 42. D. IV., duodecimi sæculi utrosque, recensita, solum habetur.

(a) Vide quid de isto Chronico dicunt Smithius in sua præfatione (quam damus ante Bedæ *Historiam Ecclesiasticam*) et Oud'n. Comment. t. I (supra, col. 71).